



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XLII. Ritter Gottfried von Greiffenberg gründet seine Gedächtnißfeier im
Kloster Chorin durch eine demselben in Günthersberg zugewandte
Hebung, am 29. März 1306.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

Heinricus de Stegeliz, dapifer, Nicolaus de Buch et ipse dapifer, Johannes de Blankenburch, Ludolph et Wedego de Wedele, Zabellus Badelo milites et quam plures alii fide digni. Acta sunt hec anno domini M^o. CCC^o. IV^o. XVII^o. Kal. Januarii. Datum in Grimmiz, castello nostro, anno et die prenotatis.

Aus dem nach dem Original des R. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 441.

XLl. Die Markgrafen Otto und Woldemar geben dem Kloster Chorin für 8 Hufen in Lichterfelde 9 Hufen in Hertzprung, am 8. October 1305.

In nomine Domini amen. Otto et Woldemarus, dei gratia Brandenburgenses et de Landysberch Marchiones, omnibus in perpetuum. Que geruntur in tempore ne simul cum tempore labantur, perhennari debent testimonio litterarum. Hinc est quod ad notitiam tam presentium quam futurorum volumus peruenire, Quod nos dilectis nobis in Cristo Deo seruientibus fratribus Ordinis Cystericiensis in Chorin proprietatem nouem mansorum in villa Herttysprunge sitorum, in restaurum octo mansorum, quos in villa Litheruelde habuerunt, cum omni juris integritate donauimus pacifice absque ulla injuria perpetuis temporibus possidendam. Renuntiantes omni juri, quod in eisdem usque ad hec tempora dignoscimur habuisse. Ita quod in pretactis mansis dicte ville nichil juris prorsus nos aut Aduocati nostri aut Bodelli nostri nobis poterimus amodo vendicare. Igitur ut horum mansorum permutatio per nos nostrosque successores hereditarios futuris temporibus immutari nequeat aut etiam retractari, presentes literas in testimonium conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Hujus rei testes sunt Johannes Romel, Syfridus Smuch, noster Aduocatus, Johannes Grifco, Zabellus Badelo, milites, et quam plures alii fide digni. Datum in Werbellino, per manus Gherardi de Voghedystorp, nostre curie Notarii, Anno domini M^o. CCC^o. V^o., in vigilia beati Dyonisii.

Aus dem nach dem Original des R. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 444.

XLII. Ritter Gottfried von Greiffenberg gründet seine Gedächtnißfeier im Kloster Chorin durch eine demselben in Günthersberg zugewandte Hebung, am 29. März 1306.

Vniuersis Christi fidelibus presentem paginam visuris Dominus Gothfridus, miles, dictus de Griffenberg salutem et fidelitatem firmiter obseruare. Nouerint uniuersi tam presentes quam futuri, Quod ego de pleno consensu heredum meorum, videlicet Johannis, Gothefridi et Arnoldi, contuli monasterio sancte Marie virginis in Chorin duo talenta Brandenburg. monete ad seruitium conuentus in die defunctionis mee, in festo purificationis annis singulis persoluenda. Hec autem talenta duo dabit Johannes dictus Stenhouel de quatuor mansis quos possidet in villa Gunthersberghe et heres suus post eum vel alius quicumque predictos mansos possederit siue ex successione paterna siue tytulo emptionis. Vt autem hec donatio perpetuis temporibus inconuulsa perma-

neat, prefens scriptum sigilli mei ac filiorum meorum duxi munimine roborandum. Datum Grifensberge, anno Domini M^o. CCC^o. VI^o., quarto Kal. Aprilis.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Seriens Cod. II, 445.

XLIII. Die Markgrafen Otto und Woldemar versichern den Pfarrer zu Pinnow der Abgabefreiheit einer ihm von dem Abte von Chorin beigelegten Pfarrhufe, am 25. Juli 1307.

Nos Otto et Woldemarus, dei gratia Brandenburgenses, Lufatie et de Landesberge Marchiones, recognoscimus et ad singulorum notitiam tenore deducimus cum presenti, quod ob reuerentiam Dei et gloriose genitricis sue, nec non propter salutem animarum nostrorum progenitorum, plebanum in Pinnow a precaria mansi, quem honorabilis vir dominus Bruno, Abbas in Chorin, doti ibidem apposuit, dimittimus liberum penitus et exemptum. Volentes id eidem plebano a nostris veris heredibus inuolabiliter obseruari. In cuius euentiam presentes donauimus sigillorum nostrorum munimine consignatas. Datum Werbellin, anno domini M^o. CCC^o. VII^o., feria tertia in die beati Jacobi Apostoli.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Seriens Cod. II, 446.

XLIV. Die Markgrafen Otto und Woldemar überlassen dem Kloster Chorin die beiden Slawischen Dörfer Ober- und Nieder-Liepe mit dem ihnen noch angehörig gebliebenen Winkel der Heide, am 12. März 1308.

Vt rei geste jugis memoria vigeat et perhennis, summe necessaria est descriptio ipsius, ne posteri obliuione moti denegare ualeant maturo priorum consilio stabilita. Hinc est, quod nos Otto et Woldemarus, dei gratia Brandenburgenses, Landesberge et Lufatie Marchiones, recognoscimus et ad uniuersorum crisi fidelium noticiam tenore presentium volumus peruenire, quod Cenobio Chorinenli Ordinis Cystericiensis et fratribus inibi Deo famulantibus duas Slauicales villas, quarum nomina sunt hec, videlicet Lypa inferior et Lypa superior, et angulum seu extremam partem Merice, que nostra fuit usque nunc, ut de cetero tota Merica simul et ville predictae cum terminis suis Claustri sint in perpetuum pleno jure, cum agris suis cultis et incultis, paludibus, stagnis, fluuiis, lacubus, riuulis, piscationibus, pratis et pascuis, lignis, nemoribus ac ceteris utilitatibus ex ipsis prouenientibus pari modo, quemadmodum ipsa possedimus ab antiquo, vendidimus atque damus cum omni libertate et proprietate possidenda jugiter et habenda. Renunciantes simpliciter omni juri, quod in predictis villis et in predicta merica huc usque habuisse dinoscimur, ita quod omnino nichil juris, actionis, precarie, iurisdictionis, seruicij aut aliquid talium nobis seu nostris heredibus legitimis seu successoribus de cetero competere possit vel debeat in eisdem. Sed ipsa cum omni iudicio tam majori quam minori, prout est premissum, ad predicti claustri fratres volumus remoto impedimento quolibet pertinere, Sic tamen, ut piscatura, sicut ab